


1+2 / 88

IDIBVS FEBRVARIIS

MCMLXXXVIII



RVMOR VARIUS



TOMUS II

FASC.69

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADIS
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 20.--
In Austria	ÖS 140.--
In ceteris Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans maria sitis	US\$ 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 20.--
Oesterreich	ÖS 140.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	US\$ 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Salvete, dilectissimi legentes!

RVMOR VARIVS sum, amice Ruvius appellor. Decimum annum expleo, corpore similis sum coaequalibus meis, sed hoc differo, quod non Francogallice, non Anglice, non Theodisce, non Hispanice, non Arabice, non Sinice, nec ulla lingua moderna utor. Latine enim cogito, Latine loquor, Latine scribo. Amicos habeo ubicumque terrarum, quaecumque aetas est, epistulare commercium felicissime pergimus, de omnibus rebus sermonem habere placet. Quis me beatior? Prospere valeo et vigeo, sed auxilio consiliisque vestris opus est ut crescam in annos et optima valetudine fruam. Cura mea est ut omnes aliquid oblectamenti in me semper inveniatis: me familiariter utimini, mihi confidite, assidue mecum estote, mecum vos delectate. Puerulus sum - non nego - tota ingenii acies iam patet. Curate ut valeatis. Scripta vestra libentissime exspecto. Valete, dulcissimae dominae dominulaeque, vosque valetate, clarissimi domini.

Florindo Di Monaco



Ordo RYMORI VARIO

decem annos nato congratulantium

Rumori Vario, carissimo commentario decem annos nato s.p.d.

Feliciter, immo felicissime, o care! Etenim qui te a prima infantia tua iam cognovimus et diligere coepimus, valde gaudemus quod Udalrico Aeschlimannio patre tuo et Emanuele Bernard et Amico Ebeliano et Barbara Maier et Martino Meier et Daniele Weissmannio (vel Alboviro) avunculis tuis diligenter foventibus tam bene in annos crevisti et adolevisti!

Ut enim pueri cuiusvis corpus et mens et virtutes a diligentibus parentibus aluntur et educantur, sic tu, care Rumor, pulchrior et doctior et sapientior in annos factus es.

Te sic interpellamus ut hominem vivum, quia re vera vividus es et vivam Latinitatem per terras diffundis. Immo ut homo solet, sic tu quoque modo serium et gravem, modo facetum et hilarem te praebes: Etenim argumenta maxime varia lectoribus obfers, atque ex.gr. modo eos scientificè edoces, modo eis terras externas describis, modo eis facetias narras, modo aenigmata eis proponis solvenda: Itaque haud iniuria parentes tibi cognomen imposuerunt "Varium": qua e varietate lectorum oritur voluptas delectatioque: nam sua ad quodque tempus lectio.

Quae cum ita sint, tibi omnia fausta feliciaque ex imis animis ominamur: Utinam valere et prospere vivere pergas, Minerva favente et ad innumeros te tuente annos!

Ad natalem diem tuum digne celebrandum, hanc narratiunculam (in paginis 1 et 2 coniunctis) scriptam) tibi narrare voluimus, quae ad anniversariam festivitatem, ut decet, adinet et propterea ei titulum inscripsimus hunc: "Anniversaria festivitates"; immo, ut illum natalem diem tuum iucundius honorarem, imaginibus textum ornare ita voluimus, ut puerilibus lectoribus res manifestae et hilarea essent.

Speramus ergo hanc narrationem, quam ad te iuvandum composuimus, tibi haud iniucundam fore.

Vale, et valeant moderatores tui, et perge nos delectare!

Genovefa et Antoninus Immè

Scribebamus Pali, mense Novembri anni MCMLXXXVII, ita ut tempus idoneum esset ut scripta nostra ad festivam editionem tuam adhibere posses.



ANNIVERSARIA FESTIVITAS

Olim in Utopia quadam (quae non est illa Utopia, quam Thomas More excogitavit quasi communistarum rei publicae similem, sed altera est Utopia nostra, in qua omnia animalium genera velut in Paradiso terrestri pace et amicitia coniungebantur) Homo diem natalem suum celebravit: Itaque ad ei congratulandum omnia bestiarum genera domum eius convenerunt dona adferentia:

Caprae et boves et camelae nec non asinae primae accurrerunt, quae lac spumans et sapidos caseos ei dono obtulerunt.




Consecutae sunt gallinae et anseres et anites, quae calidas mollesque plumas lanuginemque dederunt, ut Homo commode cubare et hiemale frigus defendere posset;



atque fere simul adventit quidam, qui lanam tum devote obferens:

"Ego," inquit "ut humani primam barbam pie obferre solent, primam lanam meam, unde texere poteris ominor omnia fausta!"



agnus adulescens primum tonsam

adulescentes diis Penatibus sic tibi vestes tibi bonas! Et tibi

Quod audientes verveces camelique, cum minus liberales quam filii vel uxores suae esse nollent, ad Hominem properaverunt et lanam suam quoque amicaliter dederunt.

Sciurus iuglandes avellanasque, quas ad hiemem seposuerat, dono dedit; simia nucem cocoīnam statim addidit, quam in summis ramis, quae est agilitas eius, collegerat; tum advolaverunt innumerae apes et favos mellis sapidissimi attulerunt, quod suave olentibus carptis floribus aliae cytisi, aliae thymi, aliae serpylli, aliae amarici, aliae acaciae, aliae myricae artificiose et perite confecerant.



Ostreae, quas fluctus maris ad Hominis pedes benevolenter advexit, eum sic allocutae sunt: "Nos, cum ceteri dona utilia, quibus commode vestiri et iucunde edere potes, tibi iam dedissent, munus voluimus obferre ad lautum ornamentum pertinens: Has margaritas accipe, quibus torquem pulcherrimum tibi facias!"

Quod audiens elephans, ne inferior videretur, dentes suos partim desecuit ut ebur Homini daret; et cervus eum imitans, liberali similitate incitatus, cornua partim dedit sua ut Homo inde pectinem pulchrum faceret.

Tum bombyx processit in medium, fila serica munificenter praebens.

At canis et feles non dona materialia obtulerunt, sed inter se certabant et contendebant et litigabant uter Hominem lepidius lamberet et suavius mulceret et amantius oscularetur.


Ne aviculae quidem rem materialem dederunt, sed consociatae luscinae cum merulis et fringillis et alaudis et misingis ad illum diem festivum digne celebrandum ita cecinerunt et pipilaverunt et fritinnierunt ut nullus unquam alius concentus suavius modulatus esse potuerit.

Ultima advenit eruca, non solum quia ei serpenti festinare difficile erat, sed etiam quia in itinere timide consistebat neque ad Hominem appropinquare audebat: Nam rem utilem iucundamve quam daret nullam habebat; ceterum, cum muta esset, vox ad canendum ei deerat; canis vero felisque oscula

imitari nolebat, cum se foedam taediosamque esse sentiret. Itaque tristis in aliquo folio quercus supra Hominis caput prominentis se pudenter occultabat atque tantum interea flebat quantum saltem eruca flere potest!

Cognoscite autem prodigium quod ex improvise factum est: Ecce eruca aliquid in lateribus suis quasi prurire sentit... Quidnam sit quaerit...atque in parva quercini rami lacuna, in qua aqua stagnat, se sic conspicit ut in speculo: Quaenam est illa nova forma, quinam illi nitidi colores? Alatum se esse videt: nam eruca in papilionem conversa iam est! Alas caute primum, dein confidentius agitat: Euge! Iam in aëre leviter et eleganter volat: Tum Homo, cum illum primum papilionem in regno suo adspiciat: "O mirabile," inquit "flos versicolor volans!"

Atque illud fuit pulcherrimum inter omnia dona quae ad natalem diem celebrandum accepit!



Narraverunt Genovefa et Antoninus Immè (21 boulevard du Recteur Sarrailh, F-64000 PAU, France).



P.C. Eichenseer Moderatoribus commentariorum periodicorum, quibus titulus est "Rumor Varius", Salutem Plurimam Dicit.

Sub finem anni praeteriti mihi ultimus fasciculus "Rumoris Varii" anni 1987i allatus est, ubi Udalricus Aeschlimann in praefatione praeter alia scribit decennium integrum completum esse, ex quo tempore fasciculi "Rumoris Varii" edi coepti essent. Quae res perhumaniter nuntiata satis est causae, cur Vobis singulis universis de primo editionum decennio feliciter perutiliterque transacto multimodis gratulemur.

Equidem illos primos fasciculos Vestros bene recordor, quippe qui fuerint simplices, sed iam ab initio satis iucundi. Decursu autem annorum multa pluraque proposita sunt generis vehementer varii. Quae res vere laudabilis ab aliis quoque libenter agnoscitur, qui sunt extra Helvetiam. Tamen interdum textus quidam ita proponuntur, quasi ad Helvetios tantum spectent, cum revera etiam ad extraneos totius orbis terrarum Latini pertineant. Similem rem ego quoque, cum sim moderator commentariorum VOCIS LATINAE anno 1965° in Bavaria conditorum, in symbolis missis, iisdemque divulgandis, non raro animadverto. Scribunt enim nonnulli, quasi sibi suisque solis scribant nescii quid aliis fortasse sit ignotum vel dilucidius explicandum. Idem monendum est de brevibus explicationibus vel adnotationibus Theodisce additis, cum non omnes, qui Latine sciunt et intellegunt, etiam Theodisce noverint. Haec generaliter dixerim.

Genus autem Latine scribendi in fasciculis Vestris decursu annorum delectabiliter melioratum est. Tamen etiam in eis rebus Latinis, quae sunt sive "postclassicae" sive "posthumanisticae", etiam atque etiam cohortandum videtur esse, ut in scribendo verus color Latinus attendatur et observetur. Itaque "Germanismi" vel "Italianismi" vel "Francogalli(ci)smi" vel "Angli(ci)smi" vel similes necessario vitentur et etiam in rebus cottidianis (hodiernis) veri Latinismi proponantur et adhibeantur et exhibeantur. Hunc in modum etiam in posterum pulchra et delectabilia atque scibilia et ludicra fasciculis Vestris convenienter perutiliterque praebeantur. Tunc in eo non erit, ut post hoc saeculum vicesimum expletum Helvetia fiat gerontocomium Europae, ut heri in actis quibusdam diurnis legi; sed propter Latinitatis vitalitatem renovatam, mirabiliter iuvenescet.

Deus tueatur Vos annis innumeris!

Dabam Saraviponto

die 6° m. Ian. a. 1988°

P.C. Eichenseer

Moderator commentariorum VOCIS
LATINAE Saravipontanorum



Cari Rumorem Varium scribentes

Nolite vos excusare apud nos de istis paucis mendis in Rumore Vario commissis, quia bene memores sumus magnitudinis eorum mendorum, quae a vobis patienter corriguntur taciteque tolluntur!

Magnas gratias vobis ago pro omnibus libellis vestris - et editis et eventuris - cordialiterque gratulor de anniversario decimo Rumoris Varii. Prosit!

Optima quaeque non solum in novum annum sed etiam in proximum decem annorum spatium vobis exopto.

Semper bene valeatis!

Ursula Schwenk

Dabam Wettingiae die XXVII° m. Dec. anno Domini MCMLXXXVII°



VOBIS "RUMORIS VARI" DECIMUM ANNIVERSARIUM CELEBRATURIS EX ANIMO GRATULOR.

QUO PLURES SUNT HODIE LATINAE LINGVAE ADVERSARII, EO LAUDABILIORES QUI EAM SCRIPTIS ET DEFENDERE ET FOVERE AUDENT.

LATINITATIS CULTORES INCEPTI VESTRI RUMOREM AUDIUNT PROBANTQUE; QUI ADHUC DE NOSTRA CAUSA FLUCTUANT, VESTRO RUMORE DUBITATIONEM ANIMO EXPELLENT; NONNULLI ALIQUA VERBA NARRATIUNCULASVE DULCI RUMORI TURICENSI ADIUNGENT.

PERGITE IGITUR! SPRETIS HOMINIBUS, CONVICIIS, OMNIBUS DENIQUE REBUS LATINITATIS ADVERSIS!


DABAM PISAURI, DIE XXX MENS. DEC. AN. MCMLXXXVII.

VICTORIUS CIARROCCHI
VIALE TRENTO, 94
61100 PESARO
(ITALIA)



SOLUTIONES

aenigmatis, quod vobis in RVMORE VARIO 11+12/87
proposuimus, infra demonstrantur:




De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi,
qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium	secundum praemium	tertium praemium
Dora Fluri	Marcus Reber	Ursula Schwenk
St.Johannsvors.90	Bergstrasse 10	Aehrenweg 13
4056 <u>Basel</u>	4500 <u>Solothurn</u>	5430 <u>Wettingen</u>

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur!
Praemia, quae sunt liber (primum praemium), libellus
(secundum et tertium praemium), eis mox mittentur.

Rumoris Varii domus editoria

Aenigma



ad libram


1 perpendens; 12 cibum capere; 13 lignum pretiosum (Pl.);
14 arenarum species; 16 Saturni pater; 19 utilitati; 20
quae milites induunt; 22 nummus parvi pretii; 23 deferimus;
26 praepositio ea a poetis antiquissimis loco praeposi-
tionis "cum" adhibebatur; 28 custos, defensor; 29

conectere; 30 coniunctio; 31 comple!; 32 caput Italiae; 34 iterum; 36 pueri patre incerto nati; 38 nulla res; 39 neglegentibus; 40 pronomen personale

ad perpendicularum

1 donet; 2 cibum cepi; 3 leporem parvum; 4 vir is Croesus sane non est; 5 bestia magna; 6 Romuli Remique mater; 7 praepositio; 8 pronomen personale; 9 umbram dabis; 10 multiplex; 11 permittam; 15 epistula (Abl.); 17 equus pistoris; 18 utilitate; 20 dea Graeca; 21 hoc modo Hispani permultos fluvios appellant; 24 gens Gallica; 25 urbs in Numidia sita; 27 ponderi; 33 exclamatio; 35 pars corporis; 37 vadis

Hoc aenigma discipulae classis quartae gymnasii Theresiani composuerunt.



OMNES, QVI RVMORI VARIO SYMBOLAS DIVVLGANDAS MITTATIS, ROGAMVS

... ut et nomen et inscriptionem cursualem vestram non modo involucro, sed etiam manuscripto ipsi inscribatis. Involucra enim in domo editoria Rumoris Varii abiciuntur, manuscripta sola a nobis servantur. Cum autem alia ratione facere non possimus: qua via vobis pecuniam pro symbolis vestris Rumore Vario divulgatis anno exeunte transferamus, si nomina inscriptionesque harum auctorum non novimus? Gratias vobis maximas agimus, si huius consilii memores esse velitis, quandocumque nobis scribatis. Valet!

RVMORIS VARIII domus editoria

De arce supra Firinisvillam in lucem prolata*

(*Füllinsdorf, Kanton Basel-Land)

Supra Firinisvillam in septentrionali parte promunturium mediocre situm est nomine Montis Veteris (Altenberg). Ibi Georgus Fridericus Meyer topographus Basiliensis anno MDCLXXX° reliquias arcis cuiusdam veteris exstare scripsit, quas fortasse ipse videbat.

Nostris autem diebus illa arx, cui etiam nomen Montis Veteris est, omnino sub terra silvana abdita erat. Anno autem MCMLXXXVI° incolae Firinisvillae tandem videre voluerunt, quid sub terra illius collis conditum esset et professorem Basiliensem illustrissimum rerumque mediaevalensium - imprimis autem arcium - peritissimum Wernerum Meyer rogaverunt, ut sibi et cunctis, quibus talia aedificia cordi essent, illas reliquias arcis suae humo eripienda curaret. Quod ille vir strenuus multis studentibus historiae et nonnullis archaeologis iuvantibus optime accuratissimeque fecit per novem fere menses a primo vere usque ad finem autumnii modo imbribus cadentibus modo aestu et fervore adurente.

Erat autem operae pretium. Nam cum nostra in regione omnis fere vicus sua arce exornatus sit, imprimis arcibus XIIIi saeculi, haec arx, ut nunc modo scimus, iam X° saeculo aedificata et - mirabile dictu - omnis lapidea constructa est. Arce Habsburgensi excepta nostra arx hac in regione adhuc sola lapidea est illius saeculi. Atque a parum exercitatis muri arcis Montis Veteris constructi esse videntur: Ita lapides positi sunt, ut singulorum superficies maior ad exteriorem partem murorum versa sit, ita, ut lapides inter se non tam bene haeserint.

Rebus intra et extra arcem inventis coniciendum est arcem Montis Veteris centum modo per annos habitatam fuisse. Tum probabiliter erus arcis ab aliquo hoste devictus est. Auri et argenti non multum inventum est a nobis, quoniam XVI° iam saeculo homines thesauros arcis quaesiverunt scissumque in fronte murum reliquerunt. Tamen nonnulla in lucem nunc prolata sunt, quae ad vitam moresque dominorum arcis

nostrae pertineant quaeque investigatoribus historiae maximi momenti erunt:


Primum : Mucrones sagittarum, quibus ad VIIIum modo saeculum vulgo homines usi esse iudicabantur.

Secundum: Particula arcoballistae (Armbrust), quam nemo X^o iam saeculo nostris in regionibus in usu fuisse putabat. (Quae res fortasse etiam ad Vellelmum Tellum, heroa patriae nostrae, pertinere possit.)

Tertium : Ornamenta in aere aurato incisa (quibus claustris codex quidam claudebatur), quibus Byzantii et in Italia meridiana artifices utebantur. Quo modo hanc in regionem talis codex pervenit? Nemo scit neque quicquam scriptum illius aetatis de arce nostra restat.

Constat autem ianuae postes aedificatores arcis sibi Augusta Raurica attulisse. Ideo scimus illos homines non barbaros et omnino rudes, sed aliquo cultu civili praeditos fuisse. Ea re cognita Firinivillenses maiores nunc spiritus gerunt quam antea. Diligenter haec arx eis conservanda erit, ne ea, quae tam diu sub terra bene protecta fuerint, sub divo post decem aut viginti annos dilabantur.

Sibylla Schuler



Cantemus, o amici!

I, VOCA FULVAS...
(Gang, rüef de Bruune...)

Canticum Helveticum popolare apud incolas in pago, cui nomen "Appenzell", habitantes pernotissimum. Textum cantici Appenzellensem-Theodiscum in Latinum vertit Sibylla Schuler.




1. I, vo - ca ful - vas*. I, vo - ca fla - vas*, ut cunc - tae
Gang rüef de Bruu - ne. Gang rüef de Gee - le, si sö - lid




ve - ni - ant, ut cunc - tae ve - ni - ant. I, vo - ca
a - al - sam, si sö - lid a - al - sam, gang rüef de



ful - vas. I, vo - ca fla - vas, ut cunctae
Bruu - ne, gang, rüef de Gee - le, si sö - lid




ve - ni - ant in sta - bu - lum. Degimus vitam laetam montibus
aal - sam in Stall ie choo. Sennele hoi - a - ho - a, Sennele



in pulchris. Degimus vitam laetam montibus in pulchris. Degimus
hoi - a - ho. Sennele hoi - a - ho - a, Sennele.....



vitam laetam montibus in pulchris, montibus in pulcher - ri - mis.
.....ho - a - ho - a - ho.



2. I, voca albas. I, voca nigras etc.
3. I, voca magnas. I, voca parvas etc.
4. I, voca lentas. I, voca celeres etc.

* sc. vaccas

ATTENDITE, ATTENDITE,
dominae Latinitatis amantes venustatisque vestrae studiosissimae! Carmen meum, cui titulus "ARTES PULCHRITUDINIS", in tres libros divisum, nuperrime in commentariis Latinis, qui "Hermes Americanus" inscribuntur, editum est. Vosne formosas semper iactare vultis? Corpusne floridum semper habere vultis? Omniumne virorum oculos in vos semper pellicere vultis? Mihi scribite, quaeso, exemplar vobis libentissime mittam.

Prof. Florindo Di Monaco
Via Michele Monaco, 152
I - 81054 San Prisco
ITALIA



Rugae voluptariae

Amicus: Quomodo potest mulier formosa quam elegantissima minimo sumptu esse?

Alter: Nuda!!

Amicus: Ut mihi libet vento vehementissimo spirante deambulare!

Alter: Cur?, quaeso, parum intellego.

Amicus: Ventus gunnas brevissimas attollit et nates puellarum miror!

Amicus: Fieri potest ut singuli capilli mulierum numerentur?

Alter: Minime, puto. Sed nihilo facilius est capillos evellere. Firmissime in capite haerent!

Amicus: Scisne, amice? Geographiam in corpore femineo periucundum est discere!

Alter: Quomodo, care?

Amicus: Pectus est mare, mammae insulae sunt, femora et crura flumina, umeri ripae sunt, tergum planities videtur, nates montes, caput est caelum, mobilis mens est ventus, labra sunt nubes vento motae, oculi sidera, frons infinita est.

Alter: Umbilici pudendorumque esne oblitus?

Amicus: Minime. Illic non geographiam disco, sed amorem perdisco!

Amicus: Capillos, tantum capillos, nihil aliud nisi capillos video! Sed ambulat!

Alter: Uxor mea est! Vultum foedum iam non video, ineptias iam non audio. Sic omnem pecuniam in fictis capillis emendis libentissime solvi. Nunc tandem carissima est!

Florindo Di Monaco




Facete lepideque dictum

Socialismus : Is, qui duas vaccas possidet, alteram vicino donum dat.

Communismus : Is, qui duas vaccas possidet, ambas rem publicam gubernantibus concedit aliquantulum lactis recuperans.

- Fascismus : Is, qui duas vaccas possidet, ambas rem publicam gubernantibus concedit, qui lac vendunt.
- Nazismus : Is, qui duas vaccas possidet, ambas rem publicam gubernantibus concedit; vaccis autem datis a gubernantibus trucidatur.
- "Bureaucratismus": Is, qui duas vaccas possidet, ambas rem publicam gubernantibus concedit alteram telo traicientibus, alteram mulgentibus, lac autem abicientibus.
- Capitalismus : Is, qui duas vaccas possidet, alteram vendit, pro ea bovem emit.

Udalricus Aeschlimann



QVAERENDVM EST, UBI ROBERTUS MAIER ET MATTHIAS HEYDEN HABITENT...

nam eorum tractatio nuperrime in Rumore Vario titulo DE COMPVTATRIS publicata digna est, ut aliquo praemio honoretur. Quod praemium autem his duobus tractationis auctoribus adhuc solvere non possumus, quia eorum inscriptio cursualis nobis plane ignota est! Quam ob rem oramus et Robertum Maier et Matthiam Heyden: Indicate nobis quam celerrime litteris inscriptionem cursualem vestram, ut denique praemium vestrum optime meritum accipiatis!

RVMORIS VARIII domus editoria

ADNOTATIONES AD "NATHAN MODERNUS" SIVE DE CERTAMINE CONTRA MOLAS ALATAS

Non sine delectamento curiositateque disputationes sodalis nostri Martini Meier titulo "Nathan modernus", ad quas componendas meis considerationibus de Nathanis parabola inductus videtur, perlegi. Munde ac belle theoriam suam, quam ex ratione Christiana ortam esse apparet (et quam abicere nemo umquam ab eo postulavit), exposuit. Partim consentimus, partim nos dissentire necesse est. Miratus sum tamen nonnulla, quae Martinus meae opinioni obloquens me dixisse affirmat vel potius subdit 1), et quae neque in Nathanis neque in meis verbis inveniri possunt. Ecce itaque paucae adnotationes ad ea, quae noster amicus non recte comprehendisse videtur.

Iure Martinus praedicat: Veritas manet veritas. Quis umquam id negavit? In "Nathane" autem de cognoscendi facultate humanae mentis agitur. Subdens me iudicavisse nos imperitos esse veritatis cognoscendae Martinus non satis subtilem accuratamque distinctionem adhibens rem generalizat 2) et depravat. Non omnino enim imperiti veritatis cognoscendae sumus, tantum universae veritatis. Multum autem interest, utrum veritas magna ex parte cognoscatur an nequaquam cognoscatur. Exemplum de rosa et tulipa perbellum quidem est, sed quid ad rem pertinet?

In eundem errorem noster sodalis incidit proxima pagina, subdens me declaravisse veritatem non cognoscibilem. Contra res accidit: quaerendo et scrutando et cogitando veritati appropinquare quam maxime possumus et valemus et debemus. Nemo affirmavit religiones partim veras partim falsas esse. Non agitur enim de contrario "veri" et "falsi", sed tantum de "vero" et de studio conatuque veritati appropinquandi. Ideo etiam illam "falsam" nominatam tolerantiam a Martino fictam esse apparet. Equidem nulla de tolerantia disserui nisi "vera". Itaque Martinus in iis ipsis duobus locis, quibus meae opinioni obloqui sibi asciscit, re vera contra phantasmata pugnat similis illi famoso equiti Don Quijote, qui olim contra molas alatas 3) dimicavisse narratur.

Ut ad religiones revertar: diversae religiones potius diversae viae ad unum finem, ad veritatem scilicet, mihi esse videntur. Scilicet nemo Christianos - ut exceptione 4) Martini ad unum exemplum utar - prohibebit persuasum sibi esse deum sibi totam veritatem revelavisse. Sed quilibet de qualibet re affirmare potest eam sibi a deo revelatam. Est quaestio credendi aut non credendi. Num quis de vero et falso rixantibus rem certo explicare possit? Ea ipsa de causa Nathan suam parabolam narravit!

Ceterum, si quis theoriam vel doctrinam unius institutionis sive ecclesiae Christianae sive alterius non sequitur, non necesse est eum nulla religione gaudere vel atheum esse. Religio singulorum hominum ad vitam privatissimam pertinet, et suo quisque modo deum precibus adire potest. Mos est quidem, et saepe evenit, ut homines frequentes in ecclesiis vel templis congregati communiter deum colere cupiant; sed ea non est unica ratio dei colendi. Non modo extrema exstant, sed etiam partes inter ea: Non modo lux et tenebrae, sed etiam crepusculum et diluculum, non modo album et nigrum, sed etiam canum multis gradibus.

Dubium non est necessario malum. Dubitando ad cupiditatem quaerendi inducimur. Sine dubio etiam certae scientiae fieri non possunt, velut sine tenebris lucem imaginari nequimus. Qui universam veritatem revelatam esse non credit, non eam negat, sed ei operam dat. Non valet minus, qui ipse meditari et cogitare de malo et bono, de modo vivendi, de quaestionibus ethicis mavult quam accipere sine cogitando, sine ipsius opinione theoriam, quae ei ab aliqua institutione quasi sola veritas revelata suggeritur. Confiteor: Multo facilius et commodius esse mihi videtur, sine critica aliquam theoriam sequi: omnia, quae sint faciunda, quae vitanda, quomodo de quibus rebus sit cogitandum, sunt praescripta. Periculum quidem est, ne eo modo homines facultatem sua sponte agendi et sua mente uti ad aliquam rem discernendam amittant et inde facillimi sint rectu, usu vel abusu.

Cur autem ille, qui homines sorores fratresque tractat, stultus sit, si mors omnium finis sit, difficillimum est intellectu. Cur homo eo tantum modo bene vivat, si post mortem in alio mundo praemium accipiet vel punietur? Concedo multos esse homines egoismum colentes (quamquam

putant deum esse); deterreri ne mala committant, magis humanis legibus quam divinis existimo. Sed contra multi quoque homines sunt, qui in hoc mundo bene vivere summa contentione studeant sive ut in alium mundum transgressi praemium accipiant.

Hominem probum et bonum in hoc mundo bene vivere refert; num regulam agendi et vivendi in aliqua religione vel in principiis ethicis philosophiae ponat, nihil refert.

Maxime mihi placet, quod Seneca philosophus de ea re cogitavit: "Ecce altera quaestio, quomodo hominibus sit utendum. Quid agimus? quae damus praecepta? ut parcamus sanguini humano? quantum est, ei non nocere, cui debeas prodesse! magna scilicet laus est, si homo mansuetus homini est. Praecipiemus, ut naufrago manum porrigat, erranti viam monstret, cum esuriante panem suum dividat? Quare omnia, quae praestanda ac vitanda sunt, dicam? cum possim breviter hanc illi formulam humani officii tradere: omne hoc, quod vides, quo divina atque humana conclusa sunt, unum est; membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cum ex isdem et in eadem gigneret; haec nobis amorem indidit mutuam et sociabiles fecit. Illa aequum iustumque composuit; ex illius constitutione miserius est nocere quam laedi; ex illius imperio paratae sint iuvandis manus. Ille versus et in pectore et in ore sit: homo sum, nil humani a me alienum puto. Habeamus in commune: in commune nati sumus. Societas nostra lapidum fornicationi 5) simillima est, quae, casura nisi in vicem obstarent, hoc ipso sustinetur." (Epistula 95, 51-53).

De furore fanatici, ubicumque nobis occurrat, sive ad religionem sive ad alias res pertinente, scripsi. Martinus Christianos tantum (non sine causa quidem!) commemorat. Ad ea tantum haec: Nihil refert, utrum plura scelera a Christianis in alios an ab aliis in Christianos vel a Christianis in Christianos (maxime mirum, quia inter homines commissa, qui ad illum excellentissimum virum Nazarenum se referunt, qui dixisse fertur: "Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos et orate pro persequentibus et calumniantibus vos." (Matth.5,44) et: "Si quis te percussit in dextra maxilla tua, praebe illi et alteram." (Matth.5,39)) commissa sint. Ceterum indignum

mihi videtur de numero hominum sceleribus affectorum rixari. Nam - ut Martini verbis utar - caedes manet caedes, scelus manet scelus. Nihil refert, a quibus commissum.


Postremo perpassiones omnium hominum eodem modo reverentia dignas existimo. Praeter Christianos multi alii quoque homines suppressi sunt et mortem non timuerunt, quod ea, quae vera sibi cognoverant, negare noluerunt (velut Socrates, velut Iordanus Brunus, Christianus a "Christianis" trucidatus).

Causae dissensionum Martini et mei non sunt difficiles intellectu. In principiis diversis opiniones nostras ponimus. Martinus veritatem revelatam esse credere praefert, equidem quaerendo et meditando veritati non a priori notae et revelatae appropinquare conor. Duo principia, alterum altero non melius vel peius. Et quia non inter eos sum, qui iam omnia sciunt (homo enim sum, et hominum nemo est perfectus omnium rerum peritus), haec nostri Martini disputatio, quae, ut meas considerationes accuratius exponerem et amplificarem, me adducit, usui et delectationi mihi fuit.

Vocabula

- | | |
|---------------------------------|--------------------------------|
| 1) subdere, subdidi, subditum 3 | unterstellen |
| 2) generalizare | verallgemeinern |
| 3) mala alata, -ae f. | Windmühle |
| 4) exceptio, -onis f. | Einschränkung,
Beschränkung |
| 5) fornicatio, -onis f. | Gewölbe, Bogen |

Daniel Weissmann



SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

1+2 / 88

IDIBVS FEBRVARIIS
MCMLXXXVIII



RVMOR VARIVS



TOMUS II

FASC. 69